

U.M.  
RUM  
E  
ÉINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio Vicesima Quarta*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente,*

JOHANNE PRETNÚTZIO

Nebrensi Tyrigetâ.

*Dominica Quasimodogeniti.*

*A.O. R. cl. Ic. III.*

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-  
schlegely

DR. 93



ANALYSIS  
EVANGELII

Dominica Quasimodogeniti.

Joh. 20. à v. 19. usq; ad v. 23.

ANTELOGIUM.

**E**gitur Apoc. I, 18. Iesu Christi Salvatoris nostri mirabile effatum, dum inquit: Eram mortuus, & ecce sum vivus ab aeterno in aeternum, & habeo claves mortis ac inferni. Prateritum tempus denotatur dum mortuum se fuisse asseverat, & praesens manifestatur dum se vivum ostentat; simalq; quam potentiam & ipse habeat, aliisq; tradat, declarat, dum claves habere mortis ac inferni constitetur. Idipsum etiam in Evangelio docetur.

S. S.

THE<sup>2</sup>

## THEISIS 1.

**I**N quo partim specialiter est resurrectio-  
nis probatio, qua facta absente Thoma, cu-  
jus antecedens describitur per manifesta-  
tionem, in quâ occurrit tum pacifera saluta-  
tio v. 19. In quo partim est circumstantia,  
et quidem temporis in genere: tum, Cum  
esset ergo vespera: scilicet diei resurrectio-  
nis, post solis occasum, inter noctis tenebras, non  
circum crepusculum, sed serô: quemadmodum  
etiam in Paradiſo circa vesperam primis pa-  
rentibus facta est historiae hujus promissio Gen.  
3, 15. ut doceret se in vita Ego mundi vespera so-  
latio Ecclesiae sua advenisse Matth. 28, 20. Et  
ut una exploraret discipulorum suorum fidem:  
Etsi enim crepusculum denotaret aliquod re-  
surrectionis indicium, nequid tamen eis Do-  
minus refulerat plena Numinis claritate, ait  
Chrysologus serm. 34.

2. Tum, die illo, qui erat unus Sabba-  
torum. Id est primus. Sabbatorum à magno  
illo, secundum nos die Dominico quo etiam  
apparuit Maria Magdalene Ioh. 20, 16. Mu-  
lieribus à sepulchro redientibus Matth. 28, 9.  
Petro Luc. 24, 35. Discipulis Emmaunta pro-  
ficiuntibus Luc. 24, 15. Antequam in Galilæa  
venit, quemadmodum Angelus Matth. 28, 7.

mo-

monuit Id quod omne privatum factum ex fervore Charitatis ut discipulos ab incredulitate quam primum liberaret, & resurrectionis veritatem ipsis confirmaret.

3. Specialiter : Et fores essent clausæ, Cœnaculi, uti habetur Acto. 1, 13. Quod secundum quosdam dicitur fuisse in domo Iohannis Evangelista, quam habuit Hierosolymis ubi Helena postmodum amplissimum extruxit Templum secundum Adrichomium. Neq;<sub>3</sub> ipsi ingressuro aperta prius fuerunt, neq;<sub>3</sub> sponie patuerunt; neq;<sub>3</sub> per vij facti parietes, sed ubi erant clausæ, ut non tantum tempus notaretur, sed etiam modus innueretur. Et si hanc operacionem percipere nequeas, habet Cyrillus l. 12. c. 15. cur potius ingenii humani imbecillitatem non accusas? Itaq;<sub>3</sub> ingressus per januas clausas, quia 1. temporis descriptio, iam præcesserat in verbis: vespere autem facto. Spiritus vero Sanctus non eadem otiose repetit. 2. dicitur ipsum in medio statim stetisse in subsequentibus, 3. quia pro spetro habitus. 4. quia Iohannes v. 30 subdit, etiam alia miracula in conspectu discipulorum fecisse. Innuit ergo etiam hunc ingressum fuisse miraculosum, quemadmodum etiam Veteres illud testantur. Vii habet Hilarius l. 3 de Trinit. stetit cor-

S 5 2 pore-

624

poreus non simulatus aut fallax; integrasunt  
omnia & obserata uti Idem habet Chrysost.  
homil. de Johann. Baptista. Cyrillus l. 12.  
in Johannem inquit: Nullus querat, quomo-  
do corpus Domini clausas januas penitrarit;  
cum intelligat non de homine nudo, ut nos su-  
mus, sed de omnipotente Dei filio haec ab Evan-  
gelista conscribi. Et Augustinus epist. 3:  
*Virtus divina per inviolatae matris viscera  
virginea, membra infantis eduxit, quae postea  
per clausas januas membra juvenis introduxit:*  
*Hic si ratio queritur, non erit mirabile, si exem-  
plum poscitur, non erit singulare.* Ut disca-  
mus aliam rationem esse clarificatorum corpo-  
rum, quibus competit subtilitas, velocitas, in-  
corruptibilitas, & aliam corporum corruptibi-  
litatem physicorum: Illa erunt πνευματικα. Cor.  
15, 25. non quidem πνευματα, ιωνγγελικα,  
non ιονγγελικα. Matth. 22, 30. Et ut note-  
mus Christum nobis adesse in omnibus locis: sic  
Petro in vinculis Actor. 12, 7. uti Danieli in-  
ter leones Dan. 6, 22.

4. Et loci, qui describitur a praesentia  
discipulorum: Ubierant discipuli congre-  
gati. Congregati autem erant Hierosolymis,  
qui enumerantur Acto. 1, 13. & 14. excepto  
Apostolo Thoma. Eaq[ue] manifestatio fuit prima  
Hic-

Hierosolymis facta (post resurrectionem in urbe (quia Maria Magdalena apparuerat circa sepulchrum, reliquis mulieribus in via, uti & peregrinantibus) nam non expectat Christus, donec in Galileam Apostoli abirent. Ut ita non solum resurrectionis, sed etiam prædictionis tempus veritatem demonstraret. Unde Eu-  
thyrius in Matth. c. 28. inquit: Non men-  
titus est Christus, quod stulte dixit Julianus,  
quasi promiserit se in Galilea videndum esse,  
& Hierosolymis se iis visendum præbuerit. Sed  
& hoc complevit promissum, visus ab eis post-  
modum in Galilea: donavit autem & alteram  
gratiam, prius eis apparens Hierosolymis, ut &  
mærorum eorum solveret & mulierum verba  
confirmaret.

s. Tum est causa: propter metum Judæo-  
rum. Extincte namq; ipsorum Domino, vi-  
olentias sibi quoq; manus illatum iri metuebant:  
ideoq; occulabant se prudenter, inquit Cyril-  
lus l. 10. in Joh. c. 57. quia recordabantur  
Iussum sibi esse à Domino, ut Iudeorum iram-  
declinarent. Alias in adversis dejectum & ti-  
midum est cor humanum Jer. 17, 9. Et quam-  
vis quidam in & extra urbem oberrarent, ut  
Cleophas & sodalis de die, tamen circa vesper-  
ram sibi metuebant. Ita tamen non indulgent

infirmitati sua, ut omnes querant lacerbras, sed congregati simul maneant.

6. Tum effectus seu apparitio ipsa, que partim haber facta, ratione loci; venit Jesus. Veritatem resurrectionis suæ ex diuina via demonstrauimus, cum scilicet, quod habet Lucas v.36. loquerentur de apparitionibus factis. Ut discamus Christum venire, quando de ipso soletemus loqui.

7. Ratione modi; Stetitque in medio. Nihil tale discipulis vel cogitantibus vel animadvententibus. Non ostium pulsavit, habet Chrysost. hom. 85. sed repente adstitit: siquidem monente Luca v.37. expavefacti & contriti existimabant se spiritum videre, quod & Marloratus in cap. 20. Iohan. præter Patres afferit. Ut discamus Christum esse mediatorem Dei & hominum 1. Tim. 2, 5. quodq; beneficia per mortem & resurrectionem parata omnibus credentibus equaliter distribuere velit.

8. Tum verba; & dicit eis: Pax vobis. Siquidem totus in eo erat, ut & consolaretur discipulos. Ideoq; familiaris salutatione eos salutat; simulq; doceret, quid afferret & operaretur eius resurrectio. Et sicut mulieribus dixit gaudete, eo quod in luctu erant; ita discipulis pacem;

pacem dat propter bellū, quod cum Iudeis ha-  
bituri erant, ait Theoph. Congruè verò mulie-  
ribus gaudium dixit, ut maledictis olim ut in  
tristitia pariant; viris autem pacem dedit, pro-  
pter pericula predicationis. Quin ipse est pax  
nostra & princeps pacis Es. 9, 6. Ut discamus  
etiam invicem pacem & precari & sectari: li-  
cetq; non possimus habere temporalem, tamen  
propter resurrectionem ejus spiritualem, dum  
supranoscum Deo reconciliati, intra nos cum  
conscientiā, infra nos cum Diabolo, ne nocere  
valeat.

9. Et membrorum demonstratio v. 20.  
In quo antecedens habet tūm tempus: Et  
cum hæc dixisset. Prius ergo consolatus est  
verbisq; affatus. Ut discamus neutrum esse o-  
mittendum, sed verbis & operibus esse succur-  
rendum, ita tamen ut prius verbis quis infor-  
metur, postmodum factum demonstretur.

10. Tum effectus, circa objectum:  
ostendit eis manus & latus suum. Et qui-  
dem, ut accurate (quod est δεικνύειν) contem-  
plarentur; quū non in peregrinā aliquā specie,  
sicut in forma hortulani Mariae Magdalene, &  
in formā viatoris Emaunticis, sed in propria  
specie sese manifestavit. Manus clavis perfo-  
rata & latus lanceā apertum, ad dubitantium

corda sananda, habet Augustinus serm. 18.  
de verbis Domini, ut ostendaret se triumphatorem,  
quem admodum Cyrillus loquitur, discipulorumq; fidem confirmaret; Sed ut nos pa-  
tri suo, pro nobis intercedens monstraret: Quin  
ut Diabolos & damnatos confunderet, quem-  
admodum Leo I. i. de adscensione c. 3. mo-  
net. Ex dispensatione, habet Cyrillus lib. 12.  
in Joh. c. 53. non in debitâ corporis sui gloria,  
sed in prima figura; ne aliud corpus quam  
quod in virgine assumpsit resurrexisse putares.  
Quod pleribus declarat Beda lib. 6. in c. 24.  
Lucæ. Ut discamus, nihil tam efficax esse ad  
conscientia vulnera sananda, quam Christi  
vulnerum meditatio crebra, quemadmodum  
docet Bernh. serm. 62. super Canticum.

II. Consequens est: Et gravisi sunt  
discipuli viso Domino. Postquam pri-  
mum timuerant, antequam errore de viso spi-  
ritu liberarentur, post liberationem ex illo er-  
rore gravisi sunt in memoriam sibi revocantes  
illud Joh. 16, 20. uti habet Chrysostomus,  
quantum enim post tenebras lux est, & sereni-  
tas post tempestatis obscura, tantum est acce-  
ptum gaudium, habet Chrysologus serm. 84.  
Latabantur antea amantes Iudei pendere de  
ligno Iesum videntes, ingenti autem mœrorē

discu-

discipulorum corda opprimebantur, sed morte à vita destructa Iudeorum latitia extincta, & mæror Apostolorum abiit, & gaudium floruit, ait Cyrillus in Joh. lib. 12. c. 54.

12. Et ministerij Apostolici ordinatio: Cujus describitur modus, estq; eorumdem, sicut ipius, in mandū allegatio v. 21. In quo præmittitur repetita salutatio, cuius causa efficiens: dixit autem Jesus. Repertitur ut ostendatur, quisnam insinuerit & ordinaverit ministerium.

13. Et forma: Pax vobis. Quā & ante usus fuerat, resurrectionisq; fructum innuerat. Et ostendere volebat, ministerium esse illud medium, per quod homines pacem habeant cum Deo, dum reconciliantur cum eo 2. Corinth. 5, 19. unde & ipsum Evangelium verbum pacis appellatur Es. 52, 7. Nab. 1, 15. Ita enim ratio, inquit Beda, est confirmatio, neq; enim est saltim mulierum salutatio.

14. Et exponitur ratio illustrata similitudine ratione sui: cuius antecedens; sicut me misit Pater. Quia iamē similitudo missionis non absolute, sed determinatè & secundum quid intelligenda: nam Pater misit primum ipsum ad opus redēptionis, Matth. 20, 28. Sed hoc modo non mittit Christus discipulos,

630

quia solus torcular calcavit. Es. 63, 3. Sed ad opus prædicationis, Ioh. 1, 18. Ioh. 18, 37. Ergo non est opifex Christus, sed est iustus. Et quamvis Christus sit missus, tamen missus est missione libera, unde minorem dignitatem non importat.

15. Et consequens: Ita & ego mittovos. Non autoritate ad hoc jubentur, inquit Chrysologus serm. 84. sed fato diligentis affectu. Mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, non admundi gaudia, ait Gregorius hom. 26. in Evangelia. Ut discamus vocationem legitimam esse expectandam, & qui non expectant. Pseudo Propheta Ierem. 23, 21. Matth. 7, 15. Pharisai Matth. 23, 15. Pseudo Apostoli Galat. 2, 4. simulq; discendum, Deum ministerij Autorem & fundatorem esse, dum mittit ministros, eorundemq; ministerium instituit. Idem est in prædicatione verbi & administratione clavium, licet sint gradus inter eosdem & ordines 1. Cor. 12, 18. Ephes. 4, 11. nam Christus manet filius ac Dominus Ebr. 3, 6. Supremus est pastor ac Episcopus animarum 1. Pet. 2, 25. cateri sunt ejus legati. Commune enim habent 1. Mandatum, ut sicut Christus ad docendum missus Es. 61, 1. Marc. 1, 14.

Ita

ita & Apostoli, Matth. 28, 19. 2. Effatum,  
nam ut Christus remissionem peccatorum con-  
ciliavit Marc. 1, 15. ita & Apostolorum mu-  
nus ad peccatorum remissionem impetrandum  
efficax esse debuit, Marc. 16, 15. 3. Statum,  
nam ut Christus olim promeruit, ita & Apo-  
stoli offerunt.

16. Et est Spiritus Sancti donatio,  
v. 22. In quo tempus: Et cum haec dixis-  
set. Primum itaq; est vocatio & ablegatio,  
postmodum sequitur ordinatio & confirmatio:  
Ut discamus nec hanc negligamus fuisse in ipsis  
Apostolis, quamvis Apostolatus distinctus sit  
a ministeriatu seu pastoratu, cum ille pecu-  
laris & personalis, hic universalis & com-  
munis.

17. Tum effectus, per factum: & affla-  
vit in eos. Qui status fuit externum medium  
conferendi Spiritum Sanctum, per presentem  
exhibitionem & donationem; quo respexit non  
solum ad historiam creationis, sed etiam ad  
naturam & personam Spiritus Sancti proprieta-  
tem, qui est Spiritus, & qui a spirando procedit:  
unde insufflando denotavit Spiritum Sanctum  
non Patris solum esse Spiritum, inquit Augu-  
stin. tractatu 121. in Johan. sed & suum; non  
enim daret nisi a se manaret, inquit Cyrilus

632

l. 12. c. 53. Unde & Spiritus Christi vocatur  
Rom. 8, 9. Spiritus oris Christi 2. Thesal. 2, 8.  
Discamus per Spiritum informari & animari  
Doctores.

18. Et quoad dictum: Accipite Spiritum  
Sanctum. Sicq; afflatum nominat Spiritum  
Sanctum. Non quidem essentialiter erat, sed  
mystice & sacramentaliter: ostenditq; necessa-  
rio Spiritum Sanctum illis dandum esse, qui ad  
Apostolatum mittuntur. Causam etiam aperit  
habet Cyrillus l. 12. in Joh. c. 56. non enim po-  
terant ea facere, quæ Deo placebent, nec pecca-  
torum effugium laqueos, nisi superiorem indui  
virtutem ad divinum animi firmementum. Ad-  
huc non intellexissent omnino Christi mysteri-  
um, nec alios rectè docuissent, nisi per Spiritum  
docti, vel ea quæ mentem hominis excedunt,  
perciperent. Datur verò ipsis, non quod antea  
eundem non habuerint, siquidem habuerunt,  
ratione donorum sanctificationis, sed hic acce-  
perunt ratione donorum prædicationis & pec-  
catorum remissionis; in Feste Pentecostes ra-  
tione miraculorum donorum distributionis,  
qua non sunt contraria, sed subordinata, eum  
varia sunt distributiones gratiarum 1. Cor.  
12, 4. Vid Cyrillus dicto loco c. 56. & Hie-  
ronym, in Ep. ad Edibiam quest. 9. Namq;  
statim

Ratim post ministerii institutionem Spiritum  
communicare voluit, quia nemo est idonens ad  
obeyendum ministrium sine Spiritu 2. Cor. 3,6.  
Ergo nemo fidat suis viribus, sed cognoscat bal-  
butiem cum Mose Exod. 4, 10. ignorantiam  
Et infantiam cum Ieremia c.1,6.

19. Et effectus, est clavium collatio v.  
23. in quo describitur commissum officium  
quoad clavem solventem : Quorumcunq;  
remiseritis peccata, remittuntur eis, Nempe  
dedit potestatem remittendi peccata, quod in  
sufflatione sua ipsum infuderit cordibus eorum  
Et largitus etiā remissorem, ait Chrysol. serm.  
34. Unde absurdum non est. peccata posse re-  
mitti ab illis, qui Spiritum Sanctum in se ipsis  
habēt: nam Spiritus Sanctus qui habitat in ipsis  
ait Cyrillus l.12. in Joh. c.56. per eos remittit  
Et detinet. Et quamvis antea Matth. 18, 18.  
Ecclesia tradidisset potestatem, tamen cum Ec-  
clesia sit domus Dei 1.Tim. 2,15. Et sponsa Christi,  
ejus Oeconomis sunt ministri Ecclesia. 1. Cor.  
4, 1. Remittunt non quidem authenticā pote-  
state, sed organica. Alias et Deus etiam remit-  
tit peccata extraordinariē citrā Sacerdotis mi-  
nisterium, quis enim sacerdos fuit filio perdi-  
to? Luc. 15, 18. quis publicano? Luc. 18, 13.  
quis Petro perjurio? Luc. 22, 61. quis Paulo per-  
secutori

634

sæcutori Dei Act. 9, 11. Et absolutio in cœlis  
semper est ordine prior absolutione, quæ in ter-  
ris fit, ut constat ex verbis Nathanis 2. Sam.  
12, 13. Et licet verba absolutionis ministri or-  
dine videantur precedere, tamen denotatur iis  
identitas eventus, non subordinatio divina so-  
lutionis ad sacerdotalem indicatur: quemad-  
modum etiam Levit. 13, 13. eadem formula  
usurpatur de mundatione. Videat. Chrysost.  
de sacerdotio lib. 3. haut procul ab initio.  
Ut discamus de ministris, reverenter senti-  
re; verbag, remissa sunt non imperativè, sed  
collativè esse intelligenda. Non enim homo  
est qui ligat & absolvit, sed Christus, qui  
hanc potestatem dedit, ait Chrysostomus.  
Quod ideo utiq, fecit divina misericordia:  
ut 1. peccatores non desperarent cum juxta se  
consilium & medelam peccatorum suorum  
invenirent: Et ut 2. homines hominibus se  
humiliando & peccata confitendo per humili-  
tatem Deo placerent, quem per superbiam  
offenderant; Ut 3. homines hominibus pecc-  
ateribus compaterentur pro se in vicem oran-  
do, & alterius onera portando, habet Ru-  
dolph. Ardens.

20. Quoad clavem ligantem: Et  
quorumcunque retinueritis, retenta sunt.  
Nempe

Nempe secundum prescriptum, verbum ejus  
annunciando, quod impoenitentibus non re-  
mittantur, sed retineantur peccata. Neq; enim  
privata auctoritate atq; arbitrio haec claves tra-  
ctanda sunt; sed causa pensanda & tunc sol-  
vendi atq; ligandi potestas exercenda, ait Gre-  
gorius homil. 26. in Evangel. Videndum  
qua culpa, aut qua sit pœnitentia secuta post  
culpam: ut quos omniscipiens Deus per com-  
punctionis gratiam absolvit, illos & pastoris  
sententia absolvat. Tunc enim vera est ab-  
solutio præsidentis cum interni arbitrium se-  
quitur Iudicis, ait idem Gregorius. Et quod  
Cyrillus habet; Servus aperit, Dominus lar-  
gitur. hic per se, ille per Christum. Ambro-  
sius ait de fide ad gratiam: Famulus claves  
accipit, Dominus ordinat potestates, aliud ius  
donantis, aliud dispensantis obsequium est.  
non enim homo est qui ligat, sed Christus, ha-  
bet Chrysost. homil. 4. c. 2. 2. ad Ebr. De-  
cet igitur iudicia Ecclesiastica proferre pru-  
denter, monet tripartita historia lib. 5. c. 17.  
Ut discamus recte sentire de ministerio, & ut  
nos permittamus erudiri in recte administra-  
ndo officio.

NOTÆ.

636

**N O T A E.**

at non, nihil nisi quod hunc, charactem  
missus. I. amissus. I. missus.

I. missus.

**C**um fores essent clausæ.] Considera Christum apparuisse foribus clausis & stetisse in medio ubi congregati; Ut discas ipsum ubiq. præsentem & omnipotentem stare velle etiam in medio, quando congregati sumus.

I. I.

**E**T dixit: Pax vobis.] Considera Christum pacem precatum esse discipulis, cum metuebant; Ut discas Deum esse pacis datorēm & in metu consolatorem.

I. I. I.

**S**icut me misit Pater.] Considera Christum non per se venisse in mundum, sed missum non ad regnandum, sed ad patientium; Ut discas expectare vocationem; Et tuum esse non regnare, sed ministrare.

**PROY.**

**CASUS.**

## C A S U S.

An Sacerdos sit Judex confiten-  
tium?

**V**Idetur 1. quia habet potestatem sol-  
vendi & ligandi Joh. 20, 22.

2. Quia habet jurisdictionem  
c. omnes dist. 22.

3. Quia Judex est, qui secundum  
acta & probata definit controversias sen-  
tentia suâ ex l. 13. §. 2. ff. de Recept.  
qui arbitr. At hoc facit sacerdos. Et 4.  
dist. 1. de pœnit. c. 51. dicitur ex Am-  
brosio Judex est Sacerdos.

**C**ontra 1. negat Christus se judicem  
constitutum Luc. 12, 14. dum non venit  
judicare, sed salvare Joh. 3, 17. Joh. 8, 16.  
Joh. 12, 47.

2. Sunt ministri, non sunt judices.  
Et quamvis habeant potestatem remit-  
tendi peccata & retinendi, tamen ea quo-  
dammodo cuilibet Christiano concessa:  
quia eidem subjecto, in quod peccat frater,  
etiam est concessa remittendi potestas  
Matth. 28, v. 15, 16, 17, 18. Licet hæc sit

Tt      diffe-

differentia, ut 1. quivis Christianus non possit nisi fratri laudenti remittere, sacerdos verò confitentia etiam.

2. Potestas fratris non est publica, & solemnis, sed sacerdotis, ita tamen ut sit subordinata 3. habet hic potestatem declarativè & applicativè dum est dependens & subdelegata potestas, ratione sententiæ publicandæ dum censet de dispositione confitentis.

3. Iuram non concedunt. c. si placet eti. repetita C. de Episc. & Clericis Novell. 6. in princip. l. consulta diuina C. de Testamento. & c. cum verum dist. 96. c. Sacerdotibus in tit. ne Clerici se negotiis secularibus.

Ad argumenta 1. Habent potestatem, sed absolutio ipsa non est judicium, verum applicatio alieni beneficij, quod Deo placuit per selectos ad id sacerdotes pœnitentibus communicare, ut per hos ei reconciliemur 2. Cor. 9, 19.

Ad 2. can. suspectus, quia primum constituit sedis Antiochenæ apices, quippe

quippe priusquam Romam veniret, ibi  
habitavit & Ignatium Episcopum consti-  
tuit c. Sacros. dist. eadem & Duarenus  
in lib. de benefic. & ministr. Eccles.  
quemadmodum & in c. renovantes pro  
& non positum. Zabarell. Itus fatetur  
jura ista male considerata.

Add 3. est petitio principij: etenim hic  
non requiritur processus, non acta & proba-  
ta, neq; enumeratio peccatorum: Siquidem  
ministri habent potestatem delegatam,  
ministerialiter, at Deus retinet potesta-  
tem remittendi principaliter; ministri pro-  
mulgant: dependet enim ministri absolu-  
tio ab absolutione Dei. Et licet interdum  
posterior tempore sit, tamen in mente sa-  
cerdotis ordine prior. Idq; probatur a for-  
ma delegationis Joh. 20, 22. Sicut me mi-  
sit pater. Et Nathan dixit 2. Sam. 12, 1.  
transstulit Dominus a te peccatum tuum.  
2. Quia oportet p&enitentem p&enitere &  
credere Marc. 1, 5. Luc. 3, 7. Eatenus au-  
tem jam actu sunt filii Dei Gal. 3, 16. ha-  
bent jus regni Joh. 1, 52. Sic & de Catechu-

Tt 2 menis

menis Cyrillus loquitur l. 12. in Joh.  
1. c. 56. *\*Deniq<sup>s</sup> sacerdos hominem suo ju-*  
*dicio ligandum non tunc valide demum*  
*ligat, quando ei peccatorum retentionem*  
*denunciat, qui enim non credit jam judi-*  
*catus est Joh. 3, 8. sed ligamen Dei ante*  
*nexus continuat. Nec obstat verborum*  
*ordo, ubi prius ligamen ministri post Dei;*  
*& de hoc in futuro, de illo in præterito:*  
*nam sic solum identitas eventus, non*  
*subordinatio divinae retentionis ad sacer-*  
*dotalem, indicatur; ut quando dicitur*  
*Levit. 13, 13. quando cung<sup>s</sup> Sacerdos mun-*  
*daverit leprosum, tum hunc mundum fo-*  
*re, qui tamen ante judicium sacerdotis*  
*mundus, vel immundus erat, uti disertius*  
*patet ex c. 14. ubi homo restitutus jubetur*  
*offerre beneficia; post quorum libatio-*  
*nem dicitur mundus v. 20. & 53. licet an-*  
*te mundus. Nam veritas essendi non pen-*  
*det a posteriori, sed tantum declaratio-*  
*c. tunc vera ii. q. 3. Inde & Gratianus*  
*ait dist. 1. de poenitentia c. convertit.*  
*Non sacerdotali judicio, sed largitate di-*  
*vine*

vinæ gratiæ peccator emendatur. Et Hieron. in 16. Matth. de loco quodcunq; istum locum presbyteri intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilium, ut vel damnent innocentes, vel salvare malos arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita queratur. Tandem Deus etiam remittit peccata citra Sacerdotis mandatum: nam Joh. 3, 18. dicitur, qui credit in filium habet vitam æternam. Per qua verba homo fidelis habet remissionem peccatorum, etiamsi sacerdotem habere non possit, modo non quis ministerium contemnat. Et se nihilominus posse salvare, credat, spernit enim sic Christum Luc. 10, 16.

Ad 4. Habentur inibi ista verba, sed additur: sacerdos quidem exhibet suum officium & nullius potestatis jura exercet, dum minister non libera quadam potestate, sed ratione ministerij absolvit. Unde Gloss. hujus can. provocat ad canon. dist. 4. de Consec. ubi Augustinus ait c. 39. aliud esse baptisare per ministerium.

Tt 3               aliud

642

aliud per potestatem: scientiam habent  
ligandi & solvendi, ut ait Hieronymus,  
non liberam potestatem Hulsi. manual.  
A. C. dis. 9. minister est deniq<sup>s</sup>, uti  
baptismus unus, ita una absolutio. Vid.  
Bald. l. 4. c. 10. c. 1. Gerh. l. 2. art. 3.  
c. 9. Cathol. veritatis.

An pro alio vita ponenda?

**V**Idetur 1. quia Christus inquit, bonus  
pastor animam suam ponit pro ovibus  
suis, Joh. 10, 11.

2. Jura volunt ut servus vitam  
pro domino exponat l. 1. §. 35. ff. & l. 19.  
ff. de Sctio Syllaniano.

3. Laudant Historici eos, qui fecer-  
unt Valerius Maximus l. 6. c. 8. Löse-  
riana etiam familiameruit titulum Mar-  
schalli apud Electorem, quod hoc fecit.

Contra 1. Nemo est occidendus: ideoq<sup>s</sup>  
nec propriè quis seipsum, atqui hoc fece-  
runt, qui hoc tentarunt.

2. Ne-

2. *Nemo Dominus suorum membrorum.* l. liber homo ff. ad L. Aquil.

3. *Vassallus non tenetur vitam pro Domini vita exponere* Schraderus part. 6. c. 6. n. 44. *Vultejus c. 10. n. 28. l. 1. F.* Rittershusius l. 2. c. 5. q. 54. p. 415. Rosenthal. c. 10. c. 16. de Feudis n. 20. *Charitas enim incipit à se ipso* c. charitas de poenitentia dist. 2. Bald. ad l. 6. C. de servitut. & aqua in c. si licet, 23. q. 5.

*Ad contraria i. longè aliud est de Christo loqui qui etiam propterea solus dicitur pastor bonus, ut cuius officium erat quod redimeret sanguine suo Ecclesiam.*

2. *De servis quidem propriè dictis,* sed in Romano Imperio non amplius sint tales per l. 17. ff. de statu hominum. Et quamvis jurare soleat *Vassallus* etiam & hoc in juramento, uti Mozzus vult, intendat. Tamen non tenetur, quia alias contra seipsum jurasset, quod tamen nemo fecisse præsumitur, eatus enim servus à *Vassallo* differt, Surd. in tract. de alienamentis tit. 7. q. 31. n. 1. Carrer in tract. crimi-

644

Criminali de homic. & Assasi in sect. 5.  
n. 5. Eberhard. in Topicis l. 24. n. 11.  
Menochius l. 5. præsum. 28. n. 12.

Ad 3. Exempla non faciunt regu-  
lam: nam sunt facti, non præcepti & juris.  
Nec præsumitur voluisse mori, sed potius  
servare se & Dominum suum, quod au-  
tem mortui, preter intentionem factum  
reditur.

Amici promptitudo laudatur, sed ta-  
men eatus tantum obligatur, quatenus  
pietas & jura permittunt. Miles autem  
nec in summo periculo vitæ dominum  
suum deserere potest l. 3. & 6. §. qui in  
acie ff. de Re milit. l. 2. & 2. ff. de his  
qui notantur in famia. Generale enim  
eorum præceptum, quod parati esse velint  
semper, & nolint unquam Reipubl. causa  
mortem evitare Gloss. in l. penult. ff. ex  
quibus caus. major. Zasius Consil. 6.  
n. 18. l. 1. quia hi specialiter ad id vocati  
& obligati. Alius tantum præstare tene-  
tur, quod sibi non nocet & alteri prodest  
l. 2. §. 5. ff. de aqua & aqua  
pluv.

Et misericordia tua misericordia tua misericordia tua misericordia tua misericordia tua

**N**ihil prohibere valet Christum, non clausura, nec asper, Quo minus ipse queat semper adire suos. Vesper erat, clausaq; fores, nocturnus habebat discipulos, quod & horiunxerat, inde mens.

Ecce venit Iesus mediumq; praeoccupat: una Discipulis, vobis pax, inopinus, ait. Hoc cum dixisset monstratq; manusq; lacrimq;, Quis, visto Domino gaudia rursus erant. Rursus ingeminat: pax vobis: addit & ista: Sic Ego vos mitto, me velut ante pater. Post inflavit eos, quin dicit & omnibus una: Flamen sanctificans accipitote simus. Quorumcung; remiseritis peccata, remissa; Quae servaveritis cuncta retenta manent. Ab simul enge remitte mihi mea crimina Iesu! Et me pace bea cœlite Salvus ero. Pluribus hac repetit PRETNÜZIUS: Ita subinde Pergat! & in sacris utilis asser erit.

Ita censet

GUEINZIUS.

Parod. ad Epigr. 28. lib. 10. Mart.

A Naorum nitidiq; sator pulcherrimus  
orbis

Christus, quem primum vota precesque

Occlusos penitans intraverat ille penates

Gencio discipulūm sacra latebat ubi.

Sed nunc divinis regiminius tempora donis

Tot loca compleat, quot cyclicus orbis  
habet.

At tibi PRETNÜTZI, tanto pro munere, cla-  
mo:

Cœlica perpetua verba tuēre morā,

MATTHÆUS Bernstein H. S.

• 0690 : 0690 : 0690 : 0690 : 0690 : 0690

A Itali ditis male - larga Gaza

Nil juvat, fundum Lybicus ue pinguis,

Videant arces celebres, nec adesunt

Pyramidales,

Nectar ast Peribus, Clariy Madulsa,

Litteræ Jovæ, monumenta sacra

Entheant, quorum specimen nota si

Optime Frater.

Suo Pythiæ

f. f.

GEORG-CHRISTOPH  
DOCKHORN.

02 A 572  
(1/2)

**ULB Halle**  
003 808 483

3



V017

EV

CH R 15  
H 33 C



